



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Natales Sanctorvm Candidissimi Ordinis Præmonstratensis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der  
Antverpiæ, Anno M.DC.XXV.**

Mense Martio Occvrrrentivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37161**



NATALES  
 SS. ORD. PRÆMONST.  
 MENSE MARTIO  
 OCCURRENTIVM.

3. *Martij.*

QVINTO NONAS MARTII.

**I**N Frisia Beati Patris FREDERICI Primi Abbatis & Fundatoris Horti Mariani Ordinis Præmonstratensis. Qui præclarissimarum virtutum & miraculorum gloriâ longè lateque coruscans, post plurimos DEO collectos animarum manipulos, lætissimè inter Psalmos & Hymnos,

mnos, beatissimam suam animam  
 Creatori reddidit. Cuius sacrum de-  
 functi corpus suavissimo fragrans  
 odore sepultum, plurimis postea  
 claruit miraculis.

XX

4. Martij.

QUARTO NONAS MARTII.

IN Vrspergenſi Sueuiæ Cœnobia  
 Natalis Beati GRIMONIS, Se-  
 cundi eiufdem Eccleſiæ Præpoſiti  
 Ordinis Præmonſtratenſis. Qui  
 commiſſi gregis ſui forma factus  
 ex animo: pluribus annis eundem  
 ſapientiffimè gubernauit; & meri-  
 tis diues euolauit ad CHRISTVM.

F 2 13. Mar-

## TERTIO IDVS MARTII.

**I**N tractus Mosellani Cœnobio dicto Angelica porta, Natalis Beatæ BEATRICIS Sanctimonialis Ordinis Præmonstratensis. Quæ blandientis mundi spretis lænocinijs, soli Sponso suo CHRISTO placere studuit: cui cum accensa bonorum operum lampade, inter cæteras prudentes Virgines ad cælestes nuptias obuiam processit.

15. *Martij.*

## IDIBVS MARTII.

**I**N Viconia Natalis B. WALTERI Quercetani Abbatis eiusdē Cœnobij Ordinis Præmonstratensis.  
Qui

Qui grandæuo Patri B. Radulpho  
 Successor datus, præclarâ pietate  
 Præfecturam suam decoravit: &  
 post foelicem transitum, cælesti lu-  
 minis irradiatione, Æternæ lucis  
 consortium obtinuisse declaratus  
 est.

~~~~~


22. Martij.

DECIMO KALENDAS APRILIS.

**I**N Boxumensi Frisiæ pago, Passio  
 Beati EELKONIS Martyris &  
 Abbatis Cœnobij Lidlumenfis Or-  
 dinis Præmonstratensis. Qui Diui-  
 ni Numinis gloriam, & collapsæ di-  
 sciplinæ zelans integritatem, im-  
 piorum manibus crudeliter truci-  
 datus occubuit; & ad Martyrij pal-  
 mam

F 3 mam

nam gloriosus victor euolauit. Cuius sanctitatem & mortem pretiosam, miraculis DEVS illustrare dignatus est.



26. *Marty.*

SEPTIMO KALENDAS APRILIS.

**I**N Siloënsi Bohemiæ Cœnobio Beati CASTALI Abbatis Ordinis Præmonstratensis. Cuius ibidē fons salutifer à circumiacentibus populis visitatur, & Sancti merita declarat: eiusque exhumatæ sacrae Reliquiæ in veneratione habentur.




29. *Marty.*

QUARTO KALENDAS APRILIS.

**W**ISMARIÆ apud Obotritos S. LVDOLPHI Episcopi ni

ni Raseburgensis & Martyris, Ordinis Præmonstratensis. Qui pro tuenda concreditæ sibi Ecclesiæ libertate, sub Alberto Saxonæ Duce gloriosè decertans, per varia tormentorum genera, iam viribus profus exhaustus, cum requiem non haberet à facie persequentis, in hac vrbe Creatori suo spiritum resignauit. Cuius uti vita illustribus refulsit Sanctitatis exemplis; ita mors in conspectu Domini pretiosa, præclaris est nobilitata miraculis.



30. Martij.

TERTIO KALENDAS APRILIS.

**A**PVD Hascam in Frisia Natalis  
Beati DODONIS Eremitæ &  
Con-

Confessoris Ordinis Præmonstratensis. Qui in Mariani Horti Cœnobio, Candidi Ordinis factus Canonicus, & B. P. Siardi egregius discipulus; eius postmodum assensu solitariam vitam miro pœnitentiæ rigore instituit. Cuius sanctæ conversationis fama latè innotuit: & præter complura miracula, quibus à DEO illustratus fuit; etiam Sacra quinque CHRISTI stigmata mirabiliter sibi impressa habuit.



31. *Martij.*

PRIDIE KALENDAS APRILIS.

**A**PVD Iouinum Castrum in Burgundia, Natalis B. GVIDONIS, ex Eremita Fundatoris & Canonici



nici Cœnobij Viconiensis Ordinis  
Præmonstratensis. Qui Britannus  
patriâ genere nobilis, ordine Sacer-  
dos, vt liberioris vitæ expiaret ma-  
culas, in vicinam Valencenis Syl-  
uam DEO vacaturus secessit. Et san-  
ctitatis eius erumpentibus radijs,  
cùm multos in sui æmulationē per-  
traxisset; cùm ijsdem Præmonstra-  
tensi sese Ordini subiecit. Quique  
ab ineunte ætate se voluntariè pau-  
perem fecerat, post varios exantla-  
tos labores, etiam terræ sanctæ vi-  
sitata sacra limina, pauperum egre-  
gius consolator, migravit à sæculo,  
æternùm victurus cum CHRISTO.

G NATA-